

# DISSERTATIO DE VOTO JEPHTE.

**V**aria de voto Jephthe agitantur quaestiones, singula in hac Dissertatione discutientur. 1. Quid potissimum voverit. 2. An jure voverit. 3. An voti fidem exsolverit.

4. An exolvens peccaverit?

Quamquam Scripturae textus apertissimè voti hujus genus exprimere videatur, non desunt tamen, quibus ipsa Scripturae historia negotium faciat. Narrat igitur Judic. 11. 29. &c. Factus est super Jephthe spiritus Domini, circumiens (Jephthe) Galaad & Manasse obivit, cogendis scilicet in expeditionem Ammoniticam copiis: *Votum vovit, sequitur S. Scriptura, Dominus, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mibique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Vovit igitur Jephthe se in holocaustum oblaturum hominem illum, quicumque demum fuerit, qui è bello reduci, è domo ejusdem Jephthe egrediens, ipsi primus occurreret; non enim ait, *qua res prima occurrerit*; sed: *quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mibique occurrerit* (a). Alioquin autem uti scitè S. Augustinus observat (\*), *Neque enim est, aut fuit consuetudinis, ut redeuntibus de bello ducibus pecora occurrerent.* Nisi fortè prae oculis habuisse Jephthe maluimus, canem, qui venienti Domino adblandiens, occurrere solet; quod esset voti genus tum per se ridiculum, cum in holocaustum offerre impium. Tandem Jephthe fidem suam obstrinxit non dedicaturum se tantum quem primum obvium habuisset, sed & in holocaustum oblaturum: *Eum holocaustum offeram Domino*; quem sensum reddit litera Textus: *Erit Domino, & offeram in holocaustum* (b). Ita etiam redderunt Patres uno omnes assensu; nec sane aliter posset nullà vi Textui originali illatà, ut infra.

Sed Textu licet invito non desunt recentiores quidam Interpretes ad alium planè sensum verba detorquentes. Horum alii Hebraeum ita vertunt [c]. *Erit egrediens, quod egressum fuerit de foribus domus meae, in occursum meum, erit Domino, & offeram illud in holocaustum.* Voto igitur, inquit illi, dicavit Domino, quidquid primum sibi redeunt obvium sese obtulisset sive homo sive brutum; ita tamen ut homines dedicaturum se Domino, bruta verò in holocaustum daturum polliceretur. Nec eo-

dem bruta omnia ritu oblaturum spondet; sed pecora & siquæ alia sacrificio apta, hæc quidem holocausto, cætera verò neci tantummodò destinabat. Uno verbo singula ritè devovit. Ità vertunt Hebraei ac recentiorum Interpretum (d) plerique.

Quicumque priorem literæ interpretationem sequuntur, si sanè fateri coacti sunt, Jephthe filiam deinde suam Domino immolasse, quod rudem profectò ignorantiam, vel etiam hebetudinem in Judice Israelis, vel impium & infandum facinus argueret. Anne verò facile ignorare potuit Deum humanas victimas detestari [e]? *Non facies Domino Deo tuo. Omnes enim abominaciones quas averfatur Dominus, fecerunt (Chananeii) Diis suis, offerentes filios & filias & comburentes igni.* Nonne execrari se Deus impia illa & inhumana sacrificia altè aded edixit, ut ejus rei ignoratio prætendi possit à nemine? Paranti autem impium votum offerre, nonne cæteri restitissent omnes Sacerdotes, Principes populi, cæterique? Post hæc autem genus illud voti, tanquam gratum aliquid, Numini, nuncupasse Jephthe credemus?

Tandem quod nos de voto Jephthe rectius sentire persuadet, illud est, nimirum oblata ab illo filiam in holocaustum nupiam in Textu legi. In Scriptura tantummodò apparet, puellam post impetratam à patre facultatem lugendi virginitatem suam duorum mensium spatio, eo elapso termino rediisse; deinde, sequitur Scriptura, *Fecit ei (pater) sicut voverat, quæ ignorabat virum*; i. e. teclusam ac coelibem vitam vivere adegit; quippe quæ servitiis Templi Domini in Silo sub imperio Summi Sacerdotis mancipata est. Patrem rogaverat puella, sibi facultatem concedi non mortem, sed virginitatem plorandi. Norat igitur se à Patre non in necem, sed ad vitam coelibem destinari; quod sanè ejus ætatis moribus probrosum habebatur & triste.

Denique, addunt, si quid tale in filiam pater commississet, ut natæ suæ unicæ in holocaustum immolandæ voti se ream arbitraretur, usurum sanè fuisse Legis privilegio, destinato scilicet pretio tam carum sibi caput redimendi, quis non facile autumarit? Ita enim edicitur Lev. 27. 2. 3. *Homo qui votum fecerit, & sponderit Deo animam suam, sub estimatione dabit pretium. Si fuerit masculus, à vigesimo anno usque ad sexagesimum annum dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram Sanctuarii.*

d Joseph Kimchi, & alii Rabb. apud Munst. Vat. Clar. Drus. Grot. Lyra, Mariana, alii.

e Deut. 12. 31. Num. 21. 1. 2. 3.

Quaritur: *Si mulier, triginta. A quinto anno usque ad vigesimum masculus dabit viginti siclos, femina decem.* Porro hujus Legis sanctio quotidiano communique usu commendata vix à Jephthe ignorata crederetur. Fac autem ignorasse illum; annon spatio duorum mensium, quo voti exequutio dilata est, voti, inquam, tam celebris, nemini unquam succurrit? Hæc potissima sunt, quibus sententia negans oblatam à Jephthe filiam in holocaustum fulcitur.

Sed hæc reponere possumus. 1. Quamquam Hebraicus Textus commode redditus fuit: *Quod egressum fuerit de foribus domus meae in occursum meum, erit Domino, sive offeram illud in holocaustum*; non est tamen cur à versione Vulgatæ, Septuaginta, Syriaci, & Arabici recedamus, quæ simul omnes habent; *Quicumque primus fuerit egressus, eum holocaustum offeram Domino.* Porro ea se res ulto prodit. An fortè sperare poterat Jephthe occursum sibi obvium bovem alique, aut ovem, aut capram? Nonne res est manifesta, homines tantummodo de victoriis ab amico relatis gratulatum venire? nec homines utrumque, sed amici potissimum, & necessarii, qui in aliquam gloriæ partem adveniunt Alternativa illa, sive disjunctio perperam, contra fidem originalis Textus invehitur; habet enim: *Erit Domino, & immolabitur in holocaustum.* Nec me fugit particulam. Et aliquando pro seu usurpari; sed in hoc sensu accipiendam. quam ibi ratio suadet? Cum sanè Jephthe votum suum nuncupavit, extraordinarium aliquid, & singulare Domino offerre cogitabat; nihil enim usitatum nihil vulgare voluit. Quid autem novi vovisset, si primum ex pecudibus, sibi fortè è victoria reduci obvium in holocaustum vovisset? Aliud igitur vir ille spectabat, cujus merito impetraturum se à Deo victoriam sperabat; voluit nempe voto tradere quidquid sibi maximè carum, & pretiosum fuisset.

Ad alteram rationem reponimus, 1. Nos quidem non ita esse comparatos, ut Jephthe ab omni crimine absolvamus. Non enim ad hanc rem in examen revocandam accessimus. Fatebimur ultrò ejus voto nihil maximè defuisse, quàm scientiam, & discretionem. Quod impræsentiarum agitur, est, quid nam potissimum vir ille voverit, atque necem devovisse contendimus illius, qui primus victori occurrisset. 2. Quamquam Deus humanas victimas detestari se, & Chananeorum sacra abhorre non semel in Scriptura significavit; non continuò tamen omnia vota tradendi se in necem in Lege prohiberi censenda sunt. Scitum est enim integros quandoque hostium exercitus, & gentes devoveri consuevisse. Israelitæ praelio victi à Rege Arad, cum hostes habuissent à tergo insectantes usque Horma, promereri sibi Domini opem volentes, anathemati devoverunt seu exterminio totam latè ejus Regis ditionem & gentem (f). Amalecitæ, & Chananeii pariter simili anathematis religioni jussu Domini traditi

erant; atque Levit. 27. 28. 29. sancitur: *Omne, quod Domino consecratur, sive bonum fuerit, sive anima, sive ager non vendetur, nec redimi poterit. . . . . omnis consecratus, qua offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* Cum igitur Deus cavet, ne humanis victimis sibi litetur, illud prohibuisse tantummodo censendus est, ne cruenta sacrificia Idolis offerantur, neve paria sibi victimarum holocausta mactentur; sed vota ex hominibus, & pecudibus, nec hominibus tantum hostibus populi Dei, sed neque domesticis, filiis, mancipiis, & subditis interdixisse unquam significat. Porro vota illa ad necem alia planè erant à sacrificiis humanarum victimarum Legis sanctione cavendis: sedulo etiam distinguendum est inter personas simplici voto Deo consecratas, quas redimi pecunià dabatur [g]; & res anathemati devotas, quas nec redimi, nec à nece subducti permittuntur (h). Porro si Jephthe simplici voto filiam suam obligasset, usus deinde Legis privilegio, solutione 10. siclorum si fortè puella decimum ætatis annum excedens nondum vigesimum expleverat, carum sibi caput ab imminente nece subduxisset; neque enim tam rudem fuisse crevimus virum ut Legem ea de re ignoraret. Sed voti ab ipso nuncupati illud erat genus, ut redimendi omnem viam præcluderet; nempe anathemate, sive ut loquitur Hebraeus, *Cherem sese obstrinxerat, cujus generis res devotæ non redimuntur, sed morte moriuntur.* Frustra Interpretes quidam exceptiones in hac Lege aliquas inferre tentarunt, quarum nulla extant in Lege vestigia. In Textu duo votorum genera liquiddò distinguuntur, simplex nempe & anathematis, in utroque homines, bruta, & res inanimæ devoventur, hic factà redimendi spe, illic verò sublata. Hic pronus est Textus originalis sensus.

At enim Legum istarum sanctio dura prorsus est, nec sine crimine executioni mandanda. An fortè Jephthe filiam suam in holocaustum Domino immolaverit, quo voti genere acceptum se Domino præstitit? Iterum reponam; non hic agitur de facto, sed de sensu Legis. Moyfes apertissimè pro nece rerum omnium voto obligatarum loquitur; votum illud Deus nunquam præcipit, sed tolerat; semel ac verò aliquis eâ se promissione obstrinxerit, ac deinde fidem suam ad literam solverit, nihil hinc quantum ad Deum attinet minus justum. Deus tolerat divortium, legem talionis, aquas Zelotypiæ, Polygamiam, ultionem: an igitur hæc omnia vel probat, vel exigit? Si quid igitur in hoc voti genere impii, & inhumani, totum ejus rei crimen non in Deum quidem, sed in voventem relegendum est.

Cæterum non ii sumus, qui eo voti genere concessam singulis quibusque facultatem credamus, ut homines Deo devotos privatâ autoritate & pro libito mortui addicant. Devovere nisi personas sibi subiectas nemini fas erat; mittebantur autem eo jure uti parentes in filios, Domini in famulos, quippe quibus jus esset vi-

g Levit. 27. 2. isch Ki Japhli neder beer Kecha nephas choth ladonai. h Ibid. ver. 28. Kol cherem ascher Jachavim isch ladonai.

a Vebajab haijotze ascher Jetze middalhe bbetbi. Sepeuz. Cai estai o copore vome nos, os an exelthe apo tes thy ras &c. \* In Judic. 9. 49.

b Velajab ladonai Vebaalith hu bolab.

c Pagnin. Mont.

f Num. 21. 1. 2. 3.

vita & necis in suos. Par erat authoritas viri in uxorem, non vero inferiorum in inferiores. Ad haec vix credimus more, & consuetudine duram aliqui legem successu temporis temperatam fuisse, appositis exceptionibus, & limitationibus neque apud Moysen expressis, neque nobis satis cognitis. Communis Reipublicae, & familiarum ratio exigebat, ut sui essent Judices rebus hisce cognoscendis, & dirigendis constituti, qui eventus discernere viderent; quando scilicet ad literam impleri vota illa, quando relaxatione solvi debuissent. Facile haec omnia ad Sacerdotes deferantur; quemadmodum & caetera quaestiones arduae & implexae. Tandem facile credimus raro quidem de his rebus negotium factum fuisse Judicibus.

Quae vero feruntur de consecratione filiae Jephthe, atque ipsius ad coelibatum abdicacione, haec nobis ad arbitrium merè excogitata creduntur, cum ne verbum quidem in Lege ea de re occurrat, neque ea afferantur monumenta, quae rem extra-controversiam posuerint. Nonne in Scriptura rotundis verbis asseruntur executioni mandata à Jephthe omnia, quae voverat? Et fecit ei sicut voverat. Pollicitus fuerat holocaustum; holocaustum ergo obtulit. Quamquam non ii sumus, qui reputemus immolatam puellam caeterarum hostiarum more, in Tabernaculo, & super Altare Domini; facile enim potuit fidem suam liberare pater, maculando filiam in regione sua, & in Montanis Galaad. Nec facile divinaremus, quo ritu Sacrificium celebratum sit, quamquam et si ritum nescimus, factum tamen constat.

Devotus Deo per vim & coactè coelibatus, neque Deo quidem gratus, neque Divina jussione præcipi magis potest, quam cruenta humanarum victimarum Sacrificia; & si patris viscera immitia aded ut filiam perimant vix concipimus, nec sanè facile intelligimus etiam potuisse illam invitam filiam cogere ad coelibatum, cujus illa singulis annis darum necessitatem cum sociis puellis dederet. Proferatur ea de re vel unum exemplum in toto Veteri Testamento. Nullum tamen extare potuit rei quam jus aequè naturale, & Divinum damnat. Coactum obsequium Deus non suscipit; neque coelibis vitae status res est, quae præcepto nolentibus injungatur. Coelibis, inquam, vitae status qui non in poenam sed in exercitium virtutis & pietatis injunctus sit. Quod autem observant ex Libro Judicum, de eadem filia Jephthe deplorante non interitum, sed Virginitatem suam, eaque reversâ fecisse ei patrem sicut voverat, quae ignorabat virum; haec quidem nunquam evincunt subductam à nece puellam, ad coelibis vitae propositum coactam ac servitiis Tabernaculi perpetuò addictam fuisse. Dedit enim unâ cum sociis puellis duram necessitatem qua cogitur mortem subire antequam conjugii pignora viduato parenti ferre poterit, filium nempè, qui patrem in posteris perennaret. Ea erat ejus temporis conditio, ut sterilitas probro haberetur & maledictio; ac puella præcoci

morte ante vitam claudens, quam probrum illud à se depellere potuisset, miseranda reliquo populo & maxime coevis puellis habebatur. Cùm igitur voto sese obstrinxisset Jephthe, oblatum in holocaustum quicumque primus regredienti è victoria obvius processisset, satis erat postea expressisse Scripturam voti illum sui fidem solvisse, ut credamus filiam nece traditam reipsâ interiisse. Quod autem additur, Quae ignorabat virum, denotat tantummodo obtulisse puellam antequam conjugio copularetur.

Conveniunt in hanc sententiam Veteres Hebraei, Patres Ecclesiae, & eruditissimi quique Veteres recentioresque Interpretes. Josephus rotundis verbis oblatam in holocaustum puellam asserit (i). Chaldaeus Paraphrastes asserit immolatam à Jephthe filiam, inconsulto Phinees Summo Sacerdote, à quo sane instructus pretio redempturus fuisset puellam. Author earminis in Marcionem inter Opera Tertulliani l.3. canit.

Peccati votum violentâ morte coperuit.

S. Ambrosius Offic. l.3. cap.12. Dura promissio, acerbior solutio, quam necesse habuit lugere etiam ipse qui fecit. Permissam hanc necem in poenam voti temerè nuncupati autumasse videtur S. Hieronymus in Jo. vinian. l.1. Ut qui improspectè voverat, errorem votorum in filia morte sentiret. S. Augustinus certam tenens necem puellae, factum improbat; namque, ait, fecit quod & Lege vetabatur, & nullo speciali jubebatur imperio (k). Tandem concludit, quandoquidem nihil de viri facto dijudicat S. Scriptura, integrum nobis relictum esse, ut in ea re, quidquid sibi visum fuerit, quisque arbitretur, censeatque minus placuisse Deo votum illud; quare in poenam temerè emissi voti permissam puellae necem; quod scilicet intelligant parentes, nihil se Deo gratum exhibituros, si humanis victimis, & maxime filiorum, cruentum sacrificium offerant; nec insuper ad fictas exhibendas promissiones ferantur, eâ spe ducti, futurum ut Deus prodigiis suis, sicut olim Abrahamo, & filiorum incolumitati succurrat, & parentum fidem liberet.

Hanc S. Augustini sententiam luculentius exponit S. Joannes Chrysostomus, observans, sacrificium Jephthe (l), quod SS. Librorum adversarii tanquam inhumanum & impium criminantur, argumentum esse apertissimum providentiae Dei, ejusque in homines bonitatis. Si enim, inquit, patrem prohibuisset, ne temerè nuncupatum votum exsolveret, eò sensum devenissent homines, ut pravum viri exemplum imitati, filios tandem suos indiscriminatim neci traderent. Quare Deus unius necem permissâ id effecit, ne pravum exemplum in posteris perennaretur. Pseudo-Justinus in Quaestionibus ad Orthodoxos [m], & Theodoretus in Judic. q.20. idem eâ de re judicantes, permissam credunt necem filiae Jephthe à Deo, quod scilicet nos cautè nuncupare vota instrueretur. Pat-

i Antiq. l. 5. cap.9.

k In Judic. q. 49.

l Hom. 14. ad populum.

m Inter Opera S. Juliani q.99.

n Serar. Tiv. Salian. Genebr. Caset.

o Judic. 11.29.

tribus accensere possumus etiam turbam recentiorum Interpretum, qui votum Jephthe ad literam interpretantes, filiae necem ultro admiserunt (n). Ludovicus Capellius integra Dissertatione demonstrat, hanc esse opinionem inter Catholicos Interpretes regnantem; sed cum in facto conveniant, in iure dissident, an scilicet votum illud viri religiosum, an secus habendum sit.

Quidam ex Patribus laudibus prosequuntur & votum, & post votum rem executioni mandatam, factumque dicunt, ut in praemium religionis victoria de hostibus gloriosa Viro Divinitus decerneretur; tum & laudes, quibus S. Paulus Hebr. 11. 32. 33. Virum prosequitur, elogium esse autamarunt, viro fidem servanti debitum. Animos in ejus favorem preparare videtur S. Scriptura, cum narrandam historiam ita suscipit: Factus est ergo super Jephthe Spiritus Domini (o): post haec verba, prosequitur obivisse illum regionem cogendis in bellum copiis, & votum Deo, de quo agimus, nuncupasse. S. Paulus inter Heroes Veteris Testamenti Gedeonem, Baruc, Samsonem, Samuelem, Prophetas, & Jephthe recenset, qui omnes viri, ait, per fidem devicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Author quaestionum ad Orthodoxos q.49. ne dubitans quidem asserit, viri erga Deum religiosi fuisse ut filiam sacrificaret, ex quo, inquit, in catalogum Justorum ab Apostolo meruit accenseri. S. Hieronymus Ep. ad Julian. scribit: Jephthe obtulit filiam Virginem, & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apo-

stolo ponitur. Possent & alii nonnulli tum veteres, cum recentiores ejus sententiae patroni laudari. Scriptura insuper nullibi factam damnat, quin & primos viri impulsus ad S. Spiritum referre visa est, exordio illo narrandam historiam suscipiens. Factus est ergo super Jephthe Spiritus Domini. S. Thomas, quamquam aliqui minus viro favens, quippe qui votum stultitiae, voti vero executionem impietatis condemnat; S. Thomas, inquam, fatetur fidem, & religionem Viri, quibus in votum adactus fuit; Spiritus Sancti motioni accepto referendam fuisse, ex quo, inquit ipse, in enumeratione Justorum ab Apostolo meruit recenseri (p). Sed, addit, militaris animi ardore extra praescriptas à Deo metas adactus, praeproperè nimis & incautè votum emisit, quod sanè praeposterâ religione & fide deinde executioni mandavit. Haec nobis aequior eâ de re videtur sententia, Scripturae magis, & Patribus consona. Si Jephthe obtulit filiam suam Virginem Deo, ait S. Hieronymus in cap.7. Jerem. non Sacrificium placet, sed animus offerentis; & S. Ambrosius Offic. l.3. cap.12. Non possum accusare virum, qui necesse habet implere, quae voverat; sed tamen miserabilis necessitas, quae solvitur per vicium. Nec tamen hisce omnibus prohibemur, quin inter caeteros Sanctos, & Justos V. T. suum viro locum statuamus. Propter bonam fidelemque vitam; in qua cum credendum est esse defunctum, tale meruit testimonium, ait S. Augustinus q.49. in Judices.

p D. Th. 2. 2. q.88. a. 2. in resp. ad Sec.

# IN LIBRUM RUTH PROLEGOMENON.

**L**iber Ruth appendicis loco libro Judicum accedit, simulque & praefatio quaedam habenda est Libris Regum proposita. Judaei, teste S. Hieronymo, in Librum (Judicum) compingunt Ruth, quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia (a). Plures insuper Patres septimum Sacrorum Librorum statuunt Librum Judicum, & Ruth (b). Sed Libri argumentum ejusque titulus distinctum & separatum opus à Libris Judicum & Regum, quamquam utriusque connexionem factorum, & rerum gestarum serie connexum, demonstrant. Veterem Librorum Sacrae Scripturae ordinem recentiores Judaei turbantur; quare statim post Moysen quinque libros collocant, quos ipsi appellant quinque Megilloz, videlicet Canticum Canticorum, Ruth, Lamentationes Jeremiae, Ecclesiastem, Esther. Interdum tamen Ruth primus, interdum quintus statuitur (c); arbitraria omnia. In hac porrò historia legimus, Elimelech

relictâ patriâ suâ Bethlehem in Moabitudine, una cum Noemi uxore, & geminis filiis Mahalon, & Chelion transigrasse, grassantem in regione suâ famem declinatam. Noemi duas foeminas Moabitides geminis filiis copulavit, Mahalonem tradidit Ruth, & Chelionem Orpha. Aliquanto post accidit, ut ambo fratres diem clauderent, duaeque nurus Noemi curâ relinquerentur. Cum autem illa suum in patriam regressum statuisset, foeminas rogavit, quandoquidem focum securae videbantur, ut manerent. Roganti altera aegre tandem acquievit; Ruth vero securam se focum suam sanctè attestata est. Ambae igitur venerunt Bethlehem; & cum interim accidisset, ut Ruth captandis spicis in agro Booz necessarii foceri sui occuparetur; Booz intellectâ foemine illius conditione refici illam cibo jussit, monens insuper ne aliò carpendis spicis, quam apud se diverteret. Cum autem manipuli in area parati essent, Ruth hortante Noemi furtim ante pedes Booz noctu cubatura sese infinuavit. Sensit viri qui

a Hieron. Prolog. Galeat. Vi. de Ruth 1. 1. b Vide Hilar. Prolog. in Ps. Euf. ex Orig. l.6. Hist. cap. 25. Epiph. H. res. 8. & l. 1. de pond. Damasc. l.4. cap. 18. Fidei Oribod. S. Bened. Regul. c.51. c Vide si lubet Serar. in Ruth. a.6. Prolog.